

(hom. 49. in Matth.) Si autem admiratio ei adveniebat ex miraculis, quare non multa fecit? Quia non ad ostentationem suam inspiciat, sed ad ea quæ aliis (1) erant utilia. Hoc igitur non proveniente, desepit quod erat sui ipsius, ut non pœnam eis augeat. Cur igitur vix pauca fecit signa? Ut non dicant: Si utique facta essent signa, nos credidissimus. Hierony-

(1) Al. emittitur erant.

## CAPUT XIV.

(a) In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebat.

(b) Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi: unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa prœmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptiste. Et contristatus est Rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari. Miltique, & decollavit Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, & venientes nuntiaverunt Jesu.

(c) Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculam in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedes de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis; & curavit languidos eorum.

(d) Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, & hora jam præterit: dimitte turbas ut euntes in castella, emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum jussisset turbam discumbere super fenum, & acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in caelum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis; & manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

(e) Et statim compulsi discipulos ascendere in naviculam: & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, quia phantasma est; & præ timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam; ego sum: nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

(f) Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum ut vel sumbriam vestimenti ejus tangereut. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

(a) **G**lossa (a) Quia supra Evangelista ostenderit quomodo pharisei Christi miracula calumniabantur, concives autem ejus hic admirantes, Christum tamen contemnebant; refert nunc quam opinionem ex auditis miraculis Herodes de Christo conceperat: unde dicitur: *In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu. Chrysofomus* (hom. 49.) Non absque causa hic tempus Evangelista designat, sed ut discas tyranni superbiam, & negligentiam: neque enim à principio didicit ea quæ erant (1) de Christo, sed post plurimum tempus: sic etiam multi qui in potestatibus sunt multa elatione circumdati, hujusmodi tarde addiscunt, quia non multam horum faciunt curam. *Augustinus* de Con. Evang. (lib. 2. cap. 43.) Dixit autem Matthæus, *In illo tempore*, non in illo die, vel ipsa hora: nam & Marcus quidem hoc eodem modo dicit, sed non eodem ordine; sed postquam discipulos ad prædicandum misit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc (2) consequenter gestum esse intelligeretur. Lucas etiam narrandi eum ordinem tenet quem & Marcus; nec ipse tamen rerum gestarum ordinem fuisse eundem credi cogit. *Chrysofomus* (hom. 49. super Matth.) Vide ergo quam magnum quid est virtus: nam & defunctum Joannem Herodes formidavit, & de resurrectione philosophatur: & ideo sequitur: *Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis; & ideo virtutes operantur in eo. Rabbanus.* Sed quanta est invidia Judæorum, ex isto loco docemur. Joannis enim à mortuis potuisse resurgere, nullo atresante Herodes alienigena (3) pronuntiavit; Judæi vero Christum quem Propheta prædixerant, non resurrexisse, sed furtim ablatum esse credere maluerunt. In quo insinuatur, quod promptior est animus Gentium ad credulitatem quam Judæorum. *Hieronymus* (in fin. Com. in 14. cap. Matth.) Quidam autem Ecclesiasticorum Interpretum querit quare Herodes ista sit suspicatus, ut putet Joannem à mortuis resurrexisse, quasi alieni erroris nobis reddenda sit ratio, aut ex his verbis habeat occasionem hæresis *metempsychos*, quæ post multos annorum circulos in diversa corpora dicit animas insinuari; cum eo tempore quo Joannes decollatus est. Dominus triginta annorum esset. (4) *Rabbanus.* Bene autem de resurrectionis virtute omnes senserunt, quod

majoris potentie sunt sancti futuri, cum à mortuis resurrexerint, quam fuere dum adhuc carnis infirmitate gravarentur: propterea dicit: *Et ideo virtutes operantur in eo. Augustinus* de Con. Evang. (lib. 2. cap. 43.) Lucas autem dicit, cap. 14., Et ait Herodes: Joannes, nem ego decollavi. Quis est iste de quo audio talia? Quia ergo hæsitantem Lucas commemoravit. Herodem, intelligendum est, aut post hanc hæsitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis accipiamus, aut adhuc eum hæsitantem, ut Lucas commemorat. *Remigius.* Forte autem quæret aliquis quare dicat Matthæus: *In illo tempore audivit Herodes*; cum longe superius dicat, quod mortuo Herode, reversus est Dominus ex Ægypto. Sed hæc quæstio solvitur, si intelligatur duos fuisse Herodes: mortuo namque priore Herode, successit ei Archelaus filius ejus, qui post decem annos relegatus est exilio apud Viennam urbem Gallie. Deinde Cæsar Augustus jussit dividi illud regnum in Tetrarchias, & tres partes dedit filiis Herodis. Iste ergo Herodes qui Joannem decollavit, est filius majoris Herodis, sub quo Dominus natus est; & ut hoc ostenderet Evangelista, addidit, *Tetrarcha. Glossa* (ord. super *Herodes enim tenuit*.) Quia vero dixerat de opinione resurrectionis Joannis, cum nihil de morte dixisset; ideo revertitur, & narrat qualiter obierit. *Chrysofomus* (hom. 49. in Matth.) Et hanc historiam nobis Evangelista non principaliter inducit, quia totum studium fuit ei dicere de Christo, & nihil aliud, nisi ad hoc conferre deberet. Dicit ergo: *Herodes tenuit Joannem, & alligavit eum. Augustinus* de Con. Evang. (lib. 2. cap. 44.) Lucas quidem non eodem ordine recordatur, sed circa baptismum quo Dominus baptizatus est: unde hoc præoccupasse intelligitur, ut narret quod multo post factum est. Cum enim commemorasset Joannes verba de Domino, quod ventilabrum in manu ejus sit, continuo hoc subjecit, quod non continuo factum esse Joannes Evangelista exponit, cum commemorat; postea quam baptizatus est Jesus, iisse eum in Galilæam, & post rediisse in Judæam,

(1) Al. à Christo. (2) Al. convenienter. (3) Al. nuntiavit. (4) In editionibus Romana an. 1570. & Veneta an. 1593. fit superflua hujusmodi repetitio: *metempsychosis* autem post multos annorum circulos in diversa corpora dicat animas insinuari.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo extat, ut nec apud alium Interpretem occurrit.

dæam, & ibi baptizasse circa Jordanem, antequam Joannes in carcerem missus esset. Sed nec Matthæus, nec Marcus eo ordine de Joanne in carcerem missio in sua narratione posuerunt, quod factum apparet in eorum scriptis: nam & ipsi dixerunt, tradito Joanne Dominum isse in Galilæam; & post multa quæ fecit ibi occasione famæ venientis ad Herodem de Christo, narrant omnia quæ de Joanne fuerunt in alio, & occiso. Causam autem quare positus sit in carcerem, ostendit cum dicit: *Propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam. Hieronymus* (ubi supra.) Verus narrat historia, Philippum Herodis majoris filium, fratrem hujus Herodis, quævis uxorem Herodiadem filiam Arethæ Regis Arabum; postea vero socerum ejus, exortis quibusdam contra generum similitudinibus, tulisse filiam suam, & in dolore prioris mariti, Herodis inimici ejus nuptiis copulasse. Ergo Joannes Baptista, qui venerat in spiritu & virtute Eliæ, eadem auctoritate qua ille Achab corripuerat, & Jezabel, arguit Herodem, & Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, & non liceat fratre vivente germano, uxorem ejus ducere; malens periclitari apud Regem, quam propter adulterationem esse immemor præceptorum Dei. *Chrysofomus* (hom. 49. in Matth.) Non tamen uxori loquitur, sed viro ejus, quoniam principalior erat hic: forsan enim legem Judæorum tenebat; & ideo Joannes eum ab adulterio prohibuit.

Sequitur: *Et volens eum occidere, timuit populum. Hieronymus.* Seditionem quidem populi verebatur propter Joannem, à quo sciebat turbas in Jordane plurimas baptizatas; sed amore vincebatur uxoris, ob cujus ardorem etiam Dei præcepta neglexerat. *Glossa* (ordinaria.) Timor enim Dei corrigit; timor hominum differt, sed voluntatem non aufert: unde & avidiores reddit ad crimen quos aliquando suspendit à crimine.

(b) *Chrysofomus* (a) hom. 49. Postquam enarravit Evangelista incarcerationem Joannis, prosequitur de occasione ipsius, dicens: *Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio. Hieronymus* (super *Die autem natalis*.) Nullum invenimus alium observasse diem natalis sui, nisi Herodem, & Pharaonem; ut quorum erat par impietas, esset una solemnitas. *Remigius.* Et sciendum, quod consuetudo est non solum divitum, sed etiam paupe-

(1) *Al.* Tulit: quod in se ergo, &c. (2) *P. Nicolai* addit obscena saltatrix. (3) *Al.* ab hominibus. Ex edit. P. Nicol. (a) *Glossa.* Nec in *Glossa* quæ nunc extrat, nec in Anselmo, vel alibi occurrunt. (b) *Lib. Synonimorum* cap. 10. ex quo refertur in Decretis causa 22. quæst. 4. cap. 5. quod incipit *In malis*.

rum mulierum, ita pudice filias suas nutrire ut vix ab extraneis viderentur. Hæc autem impudica mulier impudice filiam suam nutrit, quam non docuit pudorem, sed saltationem. Nec minus reprehendus est Herodes, qui oblitus est domum suam esse aulam regiam, quam prædicta mulier fecerat theatrum: unde sequitur: *Et placuit Herodi, unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. Hieronymus* (super *Cum juramento*.) Ego autem non excuso Herodem, quod invidus & nolens propter juramentum homicidium fecerit, qui ad hoc forte juravit ut futura occisionis machinas præpararet: alioquin, si ob jusjurandum fecisse se dicit, si maris, si patris potulasset iteritum, facturus fuerat, an non? (1) Quod in se ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit in Propheta. *Isidorus* (b) In malis ergo promissis rescinde fidem. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. Illud non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur.

Sequitur: *At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. Hieronymus* (super *Da mihi in disco*.) Herodias enim timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo fratri amico feret, atque illicitæ nuptiæ repudio solverentur, moxnet filiam ut in ipso statim convivio Joannis caput postulet, digno operi saltationis dignum sanguinis præmium. *Chrysofomus* (hom. 49.) Duplex est autem hic puellæ accusatio, & quoniam saltavit, & quoniam ita ei placuit ut occisionem expeteret in mercedem. Vide autem qualiter crudelis, (2) & qualiter mollis est Herodes: seipsum enim obnoxium juramento facit, illam autem dominam petitionis constituit. Quia ergo scivit quod ex ejus petitione malum eveniebat, tristatus est: unde sequitur, *Et contristatus est Rex:* virtus enim etiam apud malos admiratione, & laudibus digna est. *Hieronymus* (super *Et contristatus est Rex*.) Vel aliter. Consuetudinis Scripturarum est ut opinionem multorum sic narret historicus quomodo eo tempore (3) ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Jesu; & ita nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suæ, & artifex homicidii, tristitiam præferabat in facie, cum lætitiâ haberet in mente. Sequitur: *Propter jurandum, & propter eos qui pariter recumbebant jus-*

justitiam dari. Scelus excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius feret. Quod autem subjicit: *Et propter eos qui pariter discumbebant, vult omnes sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso convivio cruentæ epulæ deferrentur. Chrysofomus* (hom. 49.) Si autem testes habere perjuratorem formidavit, quanto magis timuisse oportebat tam iniquæ occisionis tantos testes habere? *Remigius.* Sed in eo minus peccatum factum est causa majoris peccati: nam quia libidinofam voluntatem non extinxit, idcirco ad luxuriam usque pervenit; & quia luxuriam non coercuit, ideo ad reatum homicidii descendit: unde sequitur: *Mystique, & decollavit Joannem in carcere: & allatum est caput ejus in disco. Hieronymus* (super *Allatum est caput Joannis*.) Legimus in Romana historia, Flaminium ducem Romanorum, quod accubanti juxta meretriciæ, quæ nunquam vidisse se diceret hominem decollatum, (1) assensus sit ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, à censoribus pulsus curia, quod epulas sanguini commiscuerit, & mortem, quamvis noxii hominis, in alterius delicias præstitit, ut libido, & homicidium pariter miscerentur. Quanto sceleratior Herodes, & Herodias, ac puella quæ saltavit: in pretium sanguinis petiit caput Prophætæ, ut haberet in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat.

Sequitur: *Et datum est puellæ, & attulit matri suæ. Glossa* (interlinearis.) Ut habeat in potestate linguam quæ illicitas nuptias arguebat. *Gregorius* 3. Moral. (cap. 4. super illud Job 2. „ Qui testa saniem radebat.“) Sed non sine admiratione gravissima perpendo, quod ille Prophætæ spiritu intra matris uterum impletus, quo inter natos mulierum nemo major surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltu capite truncatur, & vir tantæ feveritatis pro ritu turpium moritur. Numquid nam credimus aliquid fuisse quod in ejus vita illa sic despecta mors tergeret? Sed idcirco Deus suos sic premit in infimis, quia videt quomodo remaneret in summis. Hinc ergo unusquisque colligat quid illi sint passuri quos reprobat; si sic cruciat quos amat. *Gregorius* 29. Moral. (cap. 4. super illud Job 38. „ Auferetur ab impiis lux sua:“ cap. 4. in nov. exemp.) Neque autem Joannes de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit. Sed quia Christus est veritas, usque ad mortem pro Christo quasi pro veritate pervenit.

Sequitur: *Et accedentes discipuli ejus tul-*  
*S. Thom. Op. Tom. VIII.*  
(1) *Al.* accensus. (2) *Al.* hominem. (3) *Al.* dampno. (4) *Al.* adduxit.

*runt corpus ejus, & sepelierunt illud. Hieronymus.* In quo ipsius Joannis, & Salvatoris discipulos intelligere possumus. *Rabbanus.* Narrat autem in Josephus vinctum (2) Joannem in castellum Mecheronta adductum, & ibique truncatum; Ecclesiastica vero narrat historia sepultum eum in Sebastia urbe Palaestinorum, quæ quondam Samaria dicta est. *Chrysofomus* (hom. 50. in Matth.) Intende autem qualiter discipuli Joannis jam magis familiares facti sunt Jesu: ipsi enim sunt qui annuntiaverunt ei quod factum est de Joanne: unde sequitur: *Et venientes nuntiaverunt Jesu.* Etenim universos dimittentes ad ipsum confugiunt, & ita paulatim post calamitatem, & responsonem à Christo datam directi sunt. *Hilarius* (can. 14. in Matth.) Mystice autem Joannes prætulit formam legis: quia lex Christum prædicavit, & Joannes profectus ex lege est, Christum ex lege prænuntians. Herodes vero princeps est populi, & populi princeps subjecta sibi universitatis nomen, causamque complectitur. Joannes ergo Herodem monebat ne fratris sui uxorem sibi jungeret. Sunt enim, atque erant duo populi, circumcisio, & gentium. Hi igitur fratres ex eodem fonte humani generis parentes; sed Israëlæ lex admonebat ne opera gentium, & infidelitatem sibi jungeret, quæ ipsis tantum vinculo conjugalis amoris annexa est. Die autem natalis, id est rerum corporalium gaudiis, Herodiadis filia saltavit: voluptas enim tamquam ex infidelitate orta, per omnia Israël gaudia totis illecebris suæ curibus efferebatur; cui se etiam sacramento venalem populus addixit: sub peccatis enim, & sæculi voluptatibus Israëlæ vitæ eternæ mœna vendiderunt. Hæc matris suæ, id est infidelitatis, instinctu oravit deserti sibi caput Joannis, id est gloriam legis; sed populus boni ejus quod in lege erat conscius, voluptatis conditionibus non sine periculi sui dolore concedit; scitque se talem præceptorum gloriam non oportuisse concedere; sed peccatis tamquam sacramento coactus, & principum adjacentium metu, atque exemplo depravatus, & victus, illecebris voluptatis mœtus obtemperat. Igitur inter reliqua dissoluti populi gaudia, in disco Joannis caput offeritur, (3) damnum scilicet legis, voluptas corporum, & sæcularis luxuriam augetur. Igitur per puellam ad matrem defertur; ac sic probrosus Israël etiam voluptati, & infidelitati suæ gloriam legis (4) addixit. Finitis igitur legis temporibus, & cum Joanne sepultis, discipuli ejus res gestas Domino annuntiant, ad Evangelia scilicet ex lege venientes. *Hieronymus* (super *Et allatum*

tum est caput ejus.) Vel aliter. Nos usque hodie cernimus in capite Joannis Prophetae, Judaeos, Christum, qui caput Prophetarum est, perdidisse. *Rabbanus*. Sed & linguam, & vocem apud eos perdidit Propheta. *Remigius*. Vel aliter. Decollatio Joannis signat minorationem famae illius, qua estimatur a populo Christus; sicut exaltatio Domini in cruce signat profectum fidei: unde Joannes dixerat (Joannes 1.) "Illum oportet crescere, me autem minui."

(c) *Glossa (a) Salvator*, audita nece sui *Baptiste*, secessit in locum desertum: unde sequitur: *Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 45.)* Hoc autem continuo post Joannis passionem Evangelista factum esse commemorat: unde post haec, facta sunt illa quae primo narrata sunt; quibus motus Herodes dixit: *Hic est Joannes*. Illa enim posteriora debent intelligi quae ad Herodem per tulit fama, ut moveretur, & haesitaret, quoniam iste esse posset de quo audiret talia, cum Joannem ipse occidisset. *Hieronymus* (super *Et venientes nuntiaverunt Jesu*.) Non autem secedit in locum desertum, ut quidam arbitrantur, timore mortis, sed parcens inimicis suis, ne homicidium homicidio jungerent; vel in diem paschae suum iterum discedens, in quo propter sacramentum immolandum est agnus, & postea credentium sanguine respargendi; sive ideo recessit ut nobis praeretur exemplum temeritatis ultro se tradentium vitandae: quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis (1) quia se torquendos offerunt. Ob hanc causam in alio loco (supra 10.) praecipit: *Cum persecuti vos fuerint in ista civitate, fugite in aliam*. Unde eleganter quoque Evangelista non dicit, fugit in locum desertum, sed *secessit*, ut persecutores vitaverit magis quam timuerit. Potest etiam aliam ob causam, audito Joannis interitu, secessisse in desertum locum, ut credentium probaret fidem. *Chrysostramus* hom. 50. Vel ideo hoc fecit quia plura humanitas vult dispensare, nondum tempore existente denudandi suam manifeste deitatem: propter quod & discipulis dixit, quod nulli dicerent, quod ipse esset Christus. Post resurrectionem autem volebat hoc fieri manifestum. Ideo autem quamvis per se moverit quod factum est, tamen antequam nuntiaretur ei, non secessit, ut demonstraret per omnia incarnationis veritatem: non enim solo visu, sed operibus hoc credi volebat. Recedens vero non abiit in civitatem, sed in desertum in

(1) *Al. qui.* (3) *Al. deest* unde sequitur. (3) *Al. non* antequam. *Ex edit. P. Nicol. (a)* Non est in Glossa quae nunc extat, sed in Anselmo, & colligitur ex Hieronymo cum ceteris paulo infra notandis, quae nomen ejus praeserunt. (1)

*secessit* est locus: quod enim videbatur Judaeis in eodem esse miraculum, cum dicerent (Psalm. 77.) "Numquid potest parare mensam in deserto?" hoc & per opera ostendit. Propter hoc autem & in desertum eos ducit, ut sine omni suspitione sit hoc miraculum, & nullus aestimet ex castello aliquo prope exitenti inferri aliquid ad mensam. Sed quamvis desertum sit locus, tamen qui nutrit orbem terrarum, adest; est hora jam praeterit, ut dicunt, tamen qui non erat hora suppositus, loquebatur. Et quamvis praevenerit discipulos Dominus multos infirmos curaverit, tamen interim ita imperfecti erant quod neque quid de panibus facturus erat, poterant aestimare: unde subdunt: *Dimitte turbas, ut euntes in castella: emant sibi escas*. Vide autem magistri sapientiam: non enim statim dixit, Ego cibabo eos (neque enim hoc facile suscepit) sed subdit: *Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare. Hieronymus*. In quo provocat Apostolos ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus, magnitudo miraculi notior fieret. *Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 46.)* Potest autem movere, si Dominus, secundum narrationem Joannis, propeccis turbis, quaesivit a Philippo unde illis escas dari possent, quomodo sit verum quod Matthaeus hic narrat prius dixisse Domino discipulos ut dimitteret turbas, quo possent alimenta emere de proximis locis. Intelligitur ergo, post haec verba Dominum insepisse multitudinem, & dixisse Philippo quod Joannes commemorat, Matthaeus autem, & alii praetermiserunt. Et omnino talibus quaestionibus neminem moveri oportet, cum ab aliquo Evangelistarum dicitur quod ab alio praetermittitur. *Chrysostramus* (hom. 50. in Matth.) Discipuli vero neque per praemissa verba directi sunt, sed adhuc ut homini loquantur: unde sequitur: *Respondit ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duo pisces*. Ad discipulos autem in hoc discipulorum philosophiam, qualiter contempserunt escam. Duodecim enim existentes, quinque panes habebant, & duos pisces: contemptibilia enim illis erant corporalia, & a spiritualibus possidebantur. Quia igitur discipuli adhuc ad terram traherantur, jam Dominus inducere incipit quae ab ipso erant: unde sequitur: *Qui ait eis: Afferte illos mihi hic*. Propter quid autem non facit panes ex nihilo, quibus turbam pascat? Ut scilicet obstruat Marcionis & Manichaeos, qui creaturas alienant a Deo; & per opera doceat quoniam omnia quae videntur, ejus opera, & ab ipsis creationes sunt; & ut ostendat quoniam ipse

est qui fructus tradidit, qui dixit a principio (Gen. 1.) "Terra germinet herbam virentem;" neque enim hoc minus illo est. Non enim minus est de quinque panibus facere panes tantos, & de piscibus similiter, quam de terra educere fructum, & ab aquis reptilia, & alia animalia; quod demonstrat eum esse Dominum terrae, & maris. Oportet autem erudiri discipulorum exemplo, quoniam etsi pauca habuerimus, oportet ea retribuere indigentibus. Insi namque discipuli afferre quinque panes, non dicunt: Unde mitigabimus famem nostram? sed obediunt confestim: unde sequitur: *Et cum suscepisset turbam discumbere super seorsum, accepit quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in caelum, benedixit, ac fregit*. Quare autem aspexit in caelum, & benedixit? Oportebat namque credi de eo quoniam a Patre est; & quoniam ei aequalis est, aequalitatem demonstrabat, cum potestatem omnia faceret. A Patre autem esse se monstrabat per hoc quod ad ipsum omnia referens faciebat, invocans eum ad ea quae fiant: & ideo ut utrumque ostendat, nunc quidem potestate, nunc autem orans miracula facit. Deinde considerandum, quod in minoribus (1) quidem respicit in caelum, in majoribus autem potestate omnia facit. Quando enim peccata dimisit, mortuos suscitavit, mare resrenavit, occulta cordium redarguit, oculos condidit caeci nati, quae solius Dei sunt, nequaquam videtur orans; quando autem panes multiplicans facit, quod his omnibus minus est, tunc respexit in caelum; ut discas quoniam, & in minoribus non alitunde virtutem habet quam a Patre. Similiter autem erudit nos non prius tangere mensam, donec gratias egerimus ei qui cibum dat nobis. Propter hoc etiam, & in caelum respicit: aliorum enim signorum multorum exempla habebant discipuli; hujus autem nullam. *Hieronymus* (super *Accipit quinque panibus*): Frangente autem Domino, seminarium fit ciborum: nisi enim fuissent integri, & non in frusta discepti, & non divisi in multiplicem segetem, tantam multitudinem alere non poterant. Turba autem a Domino per Apostolos alimenta suscipiunt: unde sequitur: *Et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Chrysostramus* (hom. 50. in Matth.) In quo quidem non solum eos honoravit, sed voluit ut hoc miraculo factum non increduli fiant, neque obliviscantur cum praeterierit, manibus ipsis testantibus. Ideoque turbas dimittit prius famis sensum accipere, & discipulos accedere, & interrogare, & ab ipsis creationes sunt; & ut ostendat quoniam ipse

(1) *Al. omitterit* quidem.

quod sebat, & multas memoraciones habent miraculi. Ex hoc autem quod nihil amplius quam panes, & pisces eis dedit, & ex hoc quod omnibus communiter ea apposuit, humilitatem, paritiam, & caritatem qua omnia estimarent communia, eos erudit; quod & a loco docuit, cum super fenem eos discumbere fecit: non enim nutrire solum corpora volebat, sed & animam erudire. Panes autem, & pisces in discipulorum manibus augebantur: unde sequitur: *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.* Sed neque usque ad hoc stetit miraculum, sed & superabundare fecit, non panes integros, sed fragmenta: ut ostendat (1) quoniam illi panes neque quantum reliquæ erant, & ut absentes discant quod factum est, & ne ullus quod factum est estimet esse phantasia: unde sequitur: *Et tulerunt reliquias duodecim cophinos plenos fragmentorum.* Hieronymus (super *Intulerunt reliquias.*) Unusquisque enim Apostolorum de reliquiis Salvatoris implet cophinum suum, ut ex reliquiis doceat veros fuisse panes qui multiplicati sunt. Chrysostomus (hom. 50. in Matth.) Propter hoc enim duodecim cophinos superabundare fecit, ut & Judas suum cophinum portaret. Accipiens autem fragmenta, dedit discipulis, & non turbis, quæ adhuc imperfectius dispositæ erant quam discipuli. (2) Juxta numerum quinque panum, & comedentium virorum quinque millium multitudo est: unde sequitur: *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.* Chrysostomus (hom. 50. paulo ante med.) Hoc enim erat plebis maxima laus, quoniam mulieres, & vitæ asabant, quando hæc reliquæ factæ sunt. Hilarius (can. 14. in Matth.) Non autem quinque panes multiplicentur in plures, sed fragmentis: fragmenta succedunt. Crescit deinde materies, nescio utrum in mensarum loco, aut in summentium manibus. Rabbanus. Hoc autem miraculum scripturus Joannes, præmisit quia proximum esset pascha; Matthæus vero, & Marcus hoc, interfectio Joanne, continuo factum esse commemorant: unde colligitur imminente paschali: festivitate fuisse decollatum, & anno post sequente, cum paschale tempus rediret, mysterium dominicæ passionis esse completum. Hieronymus (super *Vespere autem factæ.*) Omnia autem hæc plena mysteriis sunt: hoc enim facit Dominus non mane, non meridie, sed vespere, quando Sol justitiæ occubuit.

(1) P. Nicolai reponit ex Græco-textu quoniam illorum panum hæc reliquæ erant, non multorum. (2) Al. omittitur non. (3) P. Nicolai penitentiam. Ex dicit. P. Nicol. (4) Hieronymus. Eius nomine prætermisso hæc prius cum prædictis ex Chrysostomo confundebantur.

Remigius. Per vespere enim mors Domini designatur: quia postquam ille vespere Sol in ara crucis occubuit, famelicus satiavit. Vel per vespere ultima ætas sæculi designatur; in qua Filius Dei veniens, turbas in se credentium refecit. Rabbanus. Quod autem discipuli rogant Dominum ut dimittat turbas, ut emant sibi cibos per castella, signat fastidium Judæorum contra turbas Gentium, quos judicabant magis aptos ut quærent sibi cibum in conventiculis phariseorum, quam divinorum librorum uterentur pastu. Hilarius (can. 14. à med.) Sed Dominus respondit: *Non habent necesse ire,* ostendens eos quibus medetur, venalis doctrinæ cibo (2) non egere, neque necessitatem habere regredi ad Judæam, cibosque mercari: jubetque Apostolis ut escam darent. Numquid autem ignorabat non esse quod dari posset? Sed erat omnis typica ratio explicanda: nondum enim concessum Apostolis erat ad vitæ æternæ cibum cælestem panem perficere, ac ministrare: quorum responsio ad spiritualis intelligentiæ ordinem tendit: quia adhuc sub quinque panibus, idest quinque libris legis, continebantur, & piscium duorum, idest Prophetarum, & Joannis prædicationibus alebantur. Rabbanus. Vel per duos pisces, & Prophetas, & Psalmos habemus: totum enim veteris testamentum in his tribus completur, Lege, Prophetis, & Psalmis. Hilarius (ubi supra.) Hæc igitur primum, quia in his adhuc erant, Apostoli obrulerunt; sed ex his Evangeliorum prædicatione in majorem suæ virtutis abundantiam crevit. Accumbere post hoc supra fenem populus jubetur, non jam in terra jacens, sed lege suffultus, & tamquam terra feno, fructibus operis sui unusquisque subternitur. Hieronymus (super *Cum jussisset turbam discumbere.*) Vel discumbere jubentur super fenem, & secundum alium Evangelistam, per quinquagenos, & centenos, ut postquam calcaverint carnem suam, & sæculi voluptates quasi arens fenem sibi subjecerint, tunc per quinquagenarii numeri (3) præsentiam, ad perfectum centesimi numeri culmen ascendant. Aspicit autem ad cælitum, ut illic dirigendos oculos doceat. Frangitur autem lex cum Prophetis, & in ejus medio proferuntur mysteria, ut quod integrum non alebat, divisum per partes alat Gentium multitudinem. Hilarius (can. 14.) Dantur autem Apostolis panes, quia per eos erant divina gratiæ dona reddenda. Idem autem edentium multos.

(1) P. Nicolai reponit ex Græco-textu quoniam illorum panum hæc reliquæ erant, non multorum. (2) Al. omittitur non. (3) P. Nicolai penitentiam. Ex dicit. P. Nicol. (4) Hieronymus. Eius nomine prætermisso hæc prius cum prædictis ex Chrysostomo confundebantur.

merus invenitur qui futurus fuerat crediturum: nam, sicut in Libro Actuum cap. 4. continetur, ex Israel populi infinitate virorum quinque millia crediderunt. Hieronymus (super *Manducantium fuit.*) Comederunt autem quinque millia virorum, qui in perfectum virum creverant: mulieres autem, & parvuli: sexus fragilis, & ætas minor, numero indigni sunt: unde & in Numerorum Libro, servi, mulieres, & parvuli, & vulgus ignobile, absque numero prætermittitur. Rabbanus. Turbis autem esurientibus, non nova creat cibaria, sed acceptis eis quæ habebant discipuli, benedixit: quia veniens in carne, non alia quam quæ prædicta sunt, prædicabat; sed legis, & Prophetarum scripta mysteriis gravis esse demonstrat. Quod autem superest turbis, a discipulis tollitur, quia (1) secretiora mysteria, quæ a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda; sed a duodecim Apostolis, qui per duodecim cophinos signantur, & ab eorum successoribus diligenter inquirenda. Cophinis enim servilia opera aguntur; & Deus infirma mundi elegit, ut confundat fortia. Quinque autem millia, pro quinque sensibus corporis, hi sunt qui in sæculari habitu exterioribus recte uti noverunt.

(2) Chrysostomus (hom. 50.) Diligentem examinationem eorum quæ facta erant, tradere volens, eos qui præmissum signum viderant, jussit a se separari: quia etsi presens visus fuisset, phantasticæ, & non in veritate, fecisse miraculum (2) diceretur; non tamen ut absens: & ideo dicitur: *Et statim compulsi Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum; donec dimitteret turbas.* Hieronymus (super *Et statim compulsi eos.*) (3) Quo sermone ostenditur invitos eos a Domino recessisse, dum amore præceptoris, ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari. Chrysostomus (hom. 50.) Considerandum autem, quod cum Dominus magna operatur, dimittit turbas; docens nos nusquam gloriam multitudinis prosequi, neque atrahere multitudinem. Et iterum docet, non debere turbis nos commiscere continuo, neque fugere multitudinem semper; sed alterutrum utiliter facere: unde sequitur: *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare: in quo nos docet quia solitudo bona est, cum nos Deum interpellare oporteat.* Propter hoc etiam ad desertum vadit, & ibi pernoctat dum orat, erudiens nos in oratione tranquillitatem quære- re & a tempore, & a loco. Hieronymus. Quod autem ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque millia homi-

num satiavit, sed ad eum qui audita morte Joannis fecerit solitudinem: non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum hominemque divisa sunt. Augustinus de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 47.) Potest autem hoc videri contrarium quod Matthæus dimissis turbis eum dicit ascendere in montem, ut illic solus oraret; Joannes autem in monte fuisse, cum easdem turbas pavit. Sed cum & ipse Joannes dicat, post illud miraculum fugisse eum in montem, ne a turbis teneretur, quæ cum volebant facere Regem, utique manifestum est quod de monte in planiora descenderat, quod illi panes ministrati sunt. Nec illud repugnat quod Matthæus dixit, *Ascendit in montem solus orare.* Joannes autem cap. 6. Cum cognovisset, inquit, quod venturi essent ut facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus: neque enim causa orandi contraria est causæ fugiendi; quandoquidem & hinc Dominus docet hanc esse nobis magnam causam orandi quando est causa fugiendi. Nec illud contrarium est quod Matthæus prius dixit, eum jussisse ascendere discipulos in naviculam, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solus orare; Joannes vero prius eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde, *Ut autem fero, factum est inquit, descendere discipuli, ejus ad mare; & cum ascendissent &c.* quis enim non videat hoc recapitulando Joannem postea dixisse factum a discipulis, quod jam Jesus jussisset antequam fugisset in montem? Hieronymus (super illud, *Et navicula in medio mari.*) Recte autem quasi inviti, & (4) detrectantes Apostoli a Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent: sequitur enim: *Vespere autem facta, solus erat ibi: idest in monte: navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim ventus contrarius.* Chrysostomus (homil. 51.) Rursus autem discipuli tempestatem sustinent, sicut, & prius; sed tunc quidem habentes eum in navigio, hoc passi sunt, nunc autem soli existentes. Paulatim enim ad majora eos ducit, & ad ferendum omnia viriliter instruit. Hieronymus. Domino quidem in montis cacumine commemorante statim ventus contrarius oritur, & turbat mare, & periclitantur Apostoli, & tandem imminens naufragium perseverat quamdiu Jesus veniat. Chrysostomus (hom. 51.) Tota autem nocte dimittit eos fluctuari, erigens eorum cor post timorem, in majus sui desiderium immittens eos, & in memoriam continuam: propter hoc non confessim eis alisit, unde sequitur: *Quarta autem vigilia noctis venit ad*

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. sacratoria. (2) Al. demonstrare. (3) Al. omittitur Quo. (4) Al. retractantes, item tractantes.

eos ambulans supra mare. Hieronymus (super Quarta vigilia noctis.) Stationes enim, & vigiliae militares in trina horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos. Chrysostronus (hom. 51.) Erudiens eos non cito solutionem inquirere advenientium malorum, sed ferre ea quæ contingunt viriliter. Quando autem pervenerunt erui, tunc intentus est timor: unde sequitur: *Et videntes eum supra mare ambulantem: turbati sunt, dicentes: quia phantasma est: & præ timore clamaverunt.* Semper enim hoc Dominus facit, cum solutus sit mala aliqua, difficilia, & terribilia inducit. Quia enim non est longo tempore tentari; cum finiendi sunt agones iustorum, volens amplius eos lucrari, auget eorum certamina: quod & in Abraham fecit, ultimum certamen tentationem filii ponens. Hieronymus (super Præ timore clamaverunt.) Confusus autem clamor & incerta vox, magni (1) timoris indicium est. Si autem, juxta Marcionem, & Manichæum, Dominus noster non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent ne phantasma videant? Chrysostronus (homil. 51. in Matth.) Christus ergo non prius se revelavit discipulis donec clamaverunt: quanto enim magis intendebatur timor, tanto magis letati sunt in ejus præsentia: unde sequitur: *Statimque Jesus locutus est eis dicens: Habete fiduciam; ego sum: nolite timere.* Hoc autem verbum & timorem solvit, & fiduciam præparavit. Hieronymus (super Statim locutus est ad eos Jesus.) Quod autem dicit, *Ego sum*, nec subjungit quis sit; vel ex voce sibi nota poterant intelligere eum qui per obscuras noctis tenebras loquebatur; vel ipsum esse scire poterant quem locutum ad Moysen noverant (Exod. 3.) Hæc dices filiis Israel: „Qui est, misit me ad vos.“ In omnibus autem locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque, & tentibus ceteris, credit se posse facere per voluntatem magistri quod non poterat per naturam: unde sequitur: *Respondens autem Petrus dixit: Domine: si tu es, jube me venire ad te super aquas; quasi dicat: Tu præcipe, & illico solidabuntur: unde & leve fiet corpus quod per se grave est.* Augustinus de Ver. Domini (serm. 13.) Non enim possum hoc in me, sed in te. Agnovit Petrus quid sibi esset à se, quid ab illo cujus voluntate se credidit posse quod nulla humana infirmitas posset. Chrysostronus (hom. 51.

in Matth.) Vide autem quantus est fervor quanta fides. Non dixit, Ora, & deprecare; sed *jube*: non enim solum credidit, quoniam potest Christus ambulare super mare, sed quoniam potest & alios inducere: & concupiscit velociter ad eum ire: hoc enim tam magnam quæsit propter amorem solum, non propter ostentationem. Non enim dixit, *Jube me ire super aquas; sed jube me venire ad te.* Patet autem quod cum in miraculo supra posito ostenderit quod dominatur mari, nunc ad mirabilis signum eos inducit: (2) unde sequitur: *At ille ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquas ut veniret ad Jesum.* Hieronymus. Qui putant Domini corpus ideo non esse verum, quia super molles aquas quasi molle & æreum incesserit, respondeant quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt. Rabbanus. Denique Theodorus scripsit corporale pondus non habuisse Dominum secundum carnem, sed abique pondere super mare ambulasse; sed contrarius fides catholica prædicat: nam Dionysius dicit, quod non infusus pedibus corporale pondus habentibus, & materiale onus, & ambulabat super undam. Chrysostronus (hom. 51. in Matth.) Petrus autem quod majus est superans, scilicet undam maris, à minori turbatur, scilicet à venti impulso: unde sequitur: *Videns autem ventum validum, timuit.* Talis est enim natura humana ut multoties in magnis recte se habens, in minoribus reprehendatur. Hic autem quod Petrus timuit: differentiam monstrabat magistri, & discipuli, sed & alios discipulos mitigabat. Si enim in duobus fratribus sessuris ad dexteram molestati sunt, multo magis hic molestari fuissent: non dum enim erant spiritu pleni; postea vero spirituales effecti, ubique Petro primatum concedunt, & in concionibus eum præmittunt. Hieronymus (super illud, *Videns ventum validum.*) Paululum etiam relinquitur tentationi, ut augetur fides, & intelligat se non facultate postulationis, sed potentia Domini conservatum. Ardebat enim in animo ejus fides: sed humana fragilitas in profundum traheretur. Augustinus de Verb. Dom. (serm. 13.) Præsumpsit ergo Petrus de Domino, titubavit, ut homo, sed rediit ad Dominum: unde sequitur: *Et cum cepisset mergi: clamavit dicens: Domine salvum me fac.* Numquid autem Dominus desereret titubantem, quem audierat invocantem? Unde sequitur: *Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum.* Chrysostronus (hom.

(1) Al. clamoris. (2) In editionibus Venetis anni 1551. & 1484. ut etiam in Antverpiensi anni 1569. Sic legitur, intermedis omisis: Unde sequitur: *At ille ait: Veni: & descendens Petrus, quasi molle, & incesserit.* Respondeant quomodo ambulaverit Petrus &c.

51. in Matth.) Ideo autem non injunxit ventis quiescere, sed extendens manum, apprehendit eum, quoniam illius fide opus erat. Cum enim quæ à nobis sunt defecerint, tunc ea quæ à Deo sunt, stant. Ut igitur monstraret quia non venti immisio, sed illius modica credulitas periculum operabatur, subditur: *Et ait illi: Modice fidei, quare dubitasti?* In quo manifestat quia neque ventus nocere potuisset, si fides firma fuisset. Sicut autem pullum ante tempus ex nido exeuntem, & casurum, mater alis portans, rursus ad nidum reducit; ita & Christus fecit: unde sequitur: *Et cum ascendisset in naviculam cessavit ventus.* Qui autem erant in navicula, venerunt: & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. Rabbanus. Quod quidem de nautis intelligendum est, sive de Apostolis. Chrysostronus (ubi supra.) Vide autem qualiter paulatim ad id quod est excelsum universos ducebat: supra enim inereparavit mare, nunc autem maximam virtutem suam demonstrat, super mare ambulando, & alii hoc idem facere jubendo, & periclitatem salvando: ideoque dicebant ei: *Vere Filius Dei es: quod supra non dixerant.* Hieronymus (super Qui autem in navicula.) Si ergo ad unum signum tranquillitate maris reddita, quæ post nimias procellas interdum & casu fieri solet, nautæ, atque redtores vere Filium Dei consentunt; cur Arrius ipsum in Ecclesia predicat creaturam? Augustinus de Ver. Domini (serm. 14.) Mystice autem mons altitudo est. Quid autem altius cælo in hoc mundo? Quis vero in cælum ascendit, novit fides nostra. Cur autem solus ascendit in cælum? Quia nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit; quamvis & cum in fine venerit, & nos in cælum levaverit, etiam tunc solus ascendet: quia caput cum corpore suo unus est Christus; nunc autem solum caput ascendit. Ascendit autem orare, quia ascendit ad Patrem pro nobis interpellare. Hilarius (can. 14. in Matth.) Vel quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit, ceteris trepidatione dilapsis. Hieronymus (super *Et dimissa turba.*) Ascendit etiam in montem solus, quia turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam: juxta mare in litore. Augustinus de Ver. Domini (serm. 14.) Verumtamen dum Christus orat in cælo, navicula turbatur magnis fluctibus in profundo: & quia insurgunt fluctus, potest ista navicula turbari; sed quia Christus orat non potest mergi. Naviculam quippe istam, Ecclesiam cogitate; turbulentum mare, hoc sæculum. Hilarius (can. 14.) Quod autem navem conscendere discipulos jubet, & ire trans fretum, dum turbas ipse dimittit, & dimisis turbas ascendit in montem orare; esse intra Ec-

clesiam jubet, & periculum fieri usque in id tempus quo revertens in claritatis adventu pulpulo omni qui ex Israel erit reliquis salutem reddat, ejusque peccata dimittat; dimissoque eo, vel in cæleste regnum potius admisso, agens Deo Patri gratias, in gloria ejus, & majestate consistat. Sed inter hæc discipuli vento ac mari deferuntur, & totis sæculi motibus, immundo spiritu adversante, jaçantur. Augustinus de Ver. Dom. (serm. 14. ante med.) Quando enim aliquis impiæ voluntatis, maximæ potestatis perfectionem indicit Ecclesie, super naviculam Christi grandis unda confurgit. Rabbanus. Unde bene dicitur, quia navis erat in medio mari, & ipse solus in terra: quia nonnumquam Ecclesia tantis pressuris est afflicta ut eam Dominus deseruisse videatur ad tempus. Augustinus de Ver. Dom. (serm. 14. à medio.) Venit autem Dominus ad visitandos discipulos suos, qui turbabantur in mari, quarta vigilia noctis, id est extrema parte noctis: vigilia enim una tres horas habet, ac per hoc quatuor vigiliis habet. Hilarius (can. 14.) Prima igitur vigilia fuit legis, secunda Prophetarum, tertia corporalis adventus, quarta in reditu claritatis. Augustinus de Ver. Dom. (serm. 14.) Quarta igitur vigilia noctis, hoc est pene jam nocte finita, venit in fine sæculi, iniquitatis nocte transacta, ad judicandum vivos, & mortuos. Venit autem mirabiliter. Surgebant enim fluctus, sed calcabantur: quantulibet enim potestates sæculi confurgant, premit earum caput, nostrum caput. Hilarius (can. 14.) Veniens autem Christus in fine invenit Ecclesiam fessam, & Antichristi spiritu, & totius sæculi motibus invenit circumactam. Et quia de Antichristi consuetudine ad omnem tentationem novitatem solliciti erant; etiam ad Domini adventum expavescent: falsas rerum imagines metuentes. Sed bonus Dominus timorem depellet dicens, *Ego sum*; & adventus sui fide metum naufragii imminentis repellat. Augustinus de Quæst. Evan. (Lib. 1. cap. 15.) Vel quod dixerunt discipuli phantasma esse, signat quia quidam qui esse rint diabolo, de Christi adventu dubitabant. Quod autem Petrus implorat auxilium à Domino, ne mergatur, signat quibusdam tribulationibus, etiam post ultimam persecutionem, purgaturum Ecclesiam: quod & Paulus signat dicens 1. Corinth. 3. „Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.“ Hilarius (can. 14.) Vel quod Petrus ex omni consistentium in navi numero respondere audeat, & juberi sibi ut supra aquas ad Dominum veniat precatur, passionis tempore voluntatis suæ designat affectum; dum vestigiis Domini in hærens, ad contemnendam mortem conatus est. Sed infirmitatem futu-

tura tentationis timiditas ejus ostendit: per meum enim mortis, usque ad negandi necessitatem coactus est. Clamor autem ejus poenitentiae suae gemitus est. *Rabbanus*. Respexit Dominus, & ad poenitentiam convertit; manum extendit, & indulgentiam tribuit: & sic discipulus salutem invenit: quia (Rom. 9.) „ non est volentis, „ neque currentis, sed miserentis Dei.“ *Hilarius* (ibid. paul. ante finem). Quod autem trepidante Petro, virtutem (1) perveniendi ad se Dominus non inducit, sed manu apprehensum sustinuit, hæc est ratio: solus enim passurus pro omnibus omnium peccata solvebat; nec socium admittit quicquid universitati præstatur ab uno. *Augustinus* de Ver. Domini (serm. 13. & 14.) In uno etiam Apostolo, idest Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quod figurabatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit; idest firmi in hoc quod super aquas ambulavit, & infirmi in hoc quod dubitavit: nam & unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? Ambulas supra mare: sub pedibus tuis est sæculi timor. Amas sæculum? Absorbet te. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas cupiditatem, invoca Christi divinitatem. (a) *Rabbanus*. Aderit autem Dominus, si sopitis tentationum periculis, protectionis suae fiduciam retribuat; & hoc diluculo appropinquante: cum enim humana fragilitas pressuris obstita, suarum virium parvitatem considerat, erga se tenebras cernit; cum autem mentem ad supernum præsidium erexerit, repente exortum luciferi conspicit, qui totam vigiliam matutinam illuminat. (b) Nec mirandum, si ascenderit in naviculam Domino ventus cessavit: in quocumque enim corde Dominus per gratiam adest, mox universa bella quiescunt. *Hilarius* (can. 14.) Ascensu etiam Christi in navim, ventum, & mare esse sedatum, post claritatis suae reditum æterna Ecclesiae pax, & tranquillitas indicatur: & quia tunc manifestius adveniet, recte admirantes universi locuti sunt: *Vere Filius Dei es*. Confessio enim universorum tunc absoluta, & publica erit, Dei Filium non jam in humilitate corporea, sed in gloria caelesti pacem Ecclesiae reddidisse. *Augustinus* de Quæst. Evan. (Lib. 1. cap. 15.) Signatur enim, claritatem ejus tunc manifestam futuram, per speciem jam videntibus qui per fidem nunc ambulant.

(1) *Remigius*. Narraverat superius Evangelista, Dominum jussisse discipulos suos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum; nunc autem in cepta intentione perfe-

verans dicit, quo in transfretando pervenerint, dicens: *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth. Rabbanus*. Terra Genezar juxta stagnum Genezareth à loci ipsius natura nomen trahens, qua crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhibetur: Græco enim vocabulo quasi generans sibi auram dicitur. *Chrysostramus* (hom. 51.) Monstrat autem Evangelista quod post multum tempus ad partes illas Christus venerat: & ideo sequitur: *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam. Hieronymus* (super *Et cum cognovissent eum*.) Cognoverunt autem eum rumore, non facie: vel certe pro signorum magnitudine quæ perpetrabat in populis, vultu plurimis notus erat. Et vide quanta fides sit hominum terræ Genezareth, ut non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates. *Chrysostramus* (hom. 51.) Neque enim similiter ut prius ad domos trahebant, & tactum manus inquirebant; sed cum majori fide eum alliciebant: unde sequitur: *Et obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum ut vel simbriam vestimenti ejus tangerent*. Mulier enim quæ fluxum sanguinis patiebatur, universos hanc sapientiam edocuit, ut scilicet tangendo simbriam vestimenti Christi, salvarentur. Pater etiam quod tempus quo Christus absens fuit, non solum fidem eorum non dissolvit, sed & majorem reddidit, cujus virtute omnes salvati sunt: & ideo sequitur: *Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Hieronymus* (super *Et cum transfretassent*.) Si autem sciremus quid in nostra lingua resonat Genezareth, intelligeremus quomodo Jesus per typum Apostolorum, & navis, Ecclesiam de persecutionis naufragio liberatam transfretat ad litus, & in tranquillissimo portu faciat requiescere. *Rabbanus*. Genezar enim interpretatur (2) ortus principium. Tunc autem plena nobis tribuatur tranquillitas quando paradisi per Christum nobis restituetur hereditas, ac primæ stolæ jucunditas. *Hilarius* (can. 14.) Vel aliter. Finitis legis temporibus, & ex Israel quinque millibus virorum intra Ecclesiam collocatis, jam credentium populus occurrit, jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque (3) offert Domino; oblatique simbriis vestimentorum contingere optabant, salvi per fidem futuri; sed ut ex veste tota simbria, ita ex Domino nostro Jesu Christo, (4) Sancti Spiritus gratiæ virtus exit, quæ Apostolis data, ipsis quoque tamquam ex eodem corpore exeuntibus, salutem his qui contin-

gere

gere cupiunt, subministrat. *Hieronymus* (in fin. Comment. in 14. cap. Matth.) Vel simbriam vestimenti ejus minimum mandatum intellige; quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno caelorum: vel assumptionem corporis, per quam venimus ad Verbum Dei. *Chry-*

*Sylvestrus* (hom. 51. cir. medium.) Nos autem non solum simbriam, aut vestimentum Christi habebimus, sed etiam corpus ejus, ut comedamus, Si ergo qui simbriam vestimenti ejus tetigerunt, tantam acceperunt virtutem, multo magis qui totum ipsum sument.

## CAPUT XV.

(a) **T**unc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribæ, & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam; & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

(b) Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

(c) Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis, quia pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

(d) Respondens autem Petrus, dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in fecesum emittitur. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ; homicidia, adultèria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias: hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

(e) Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis, & ecce mulier Chananæ à finibus illis egressa, clamavit dicens ei: Misere mei Domine fili David: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum fumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

(f) Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; & magnificabant Deum Israel.

(g) Jesus autem convocatis discipulis suis dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perleverant mecum, & non habent quod manducant; & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Jesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisces. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis, & discipuli dederunt populo; & comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfluit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.